



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Bono coniugij statui mala esse admixta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

tamen Cælius & alij à priscis Christianis sponsalem annulæ arrhæ nomine datum signo fidei insculptum, hoc est, iugurum inter se manuum dextrarum. Hoc enim est hieroglyphicum fœderis, & concordia mutua, apud omnes pænè gentes, atque ex ea coniunctione numerus quadratus efficitur, hoc est, denarius, qui à Pythagora dicebatur prima quadratura, hoc est, perfecta consensio animorum.

## CAPUT XXX.

Cur Deus matrimoniorum author & custos, tam multos maritos, aut tam multas uxores malas esse permittat? & quænam sint contra malas mulieres remedia?

I.



Utrum matrimonia & à natura, & à DEO, atque ea propter bona sint, ac ab ipso naturæ authore & concilientur tam prouidè, & tam mirificè conseruentur, cur in eo tot mala permittuntur esse admixta? quo istud iudicio facit Deus? Siquidem ea mala, neque ipse laudator matrimonij Paulus Apostolus dissimulans scripsit: *Alligatus es uxori, noli querere solutionem. Solutus es ab uxore, noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et, si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Cur tribulationem? Ad hanc quæstionem generalem, generalis primùm danda est responsio. Postea ad peculiaria mala, etiam peculiariter atque ordine respondebitur.

1. Cor. 7. 27.

II.

In primis igitur, quando vniuersim quæritur, cur mala statui bono admisceantur, vniuersim respondetur, id fieri easdem ob causas, ob quas homines cuncti, & omnis mortalium status mala multa cogitur sustinere. Cur enim à tribulatione coniuges exempti essent, si non sunt exempti Religiosi, & Deo ex toto addicti? 2. Sicut mala arbor malos fert fructus, ita peccatum, quo nihil est peius, mala Mundo inuexit. Peccator enim Adæ dictum est: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comediisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ.* Sp

Gen. 3. 17.